

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3096

**Auteur(s) :** Urbain III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Jersey, Saint-Hélier (abbaye)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1186, 24 août

**Lieu d'émission :** Vérone

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Bulle du Pape Urbain III adressée aux chanoines du monastère de St Hélier de Jersey. Il prend sous sa protection à l'exemple d'Alexandre, son prédécesseur, ledit monastère et il confirme leurs possessions, i.e. le lieu où leur dit monastère est situé dans l'île de Jersey ; l'église de la Ste Trinité ; 21 acres de terre de la Couture du Roi à Crapoudoit donnée en aumône ; 4 acres de terre achetées d'Alain du Mont et de Guillaume, son frère, dans la paroisse de St Clément ; 7 acres de terre vendues par Guillaume de Segleris (? Seiglières) dans la paroisse de Grouville ; une acre de terre donnée par Robert de Barneville ; le Moulin de la Ville de St Hélier donné par le Roi ; le Moulin donné par Guillaume d'Asnières ; un quartier de froment concédé par Philippe de Carteret ; deux quartiers et demi de froment donnés par Alain Soin ; 10 acres de terre données par frère Robert de Faldouet ; 4 acres de terre concédées par Guillaume Gallichan pour l'âme de son père ; le Marais de St Hélier donné par le Roi ; une charruée de terre dans le Val de Tremble achetée de Jourdain de Barneville ; la dîme du champart de deux charruées de terre à Samarès, lesquelles furent données par Guillaume de Salinelles pour l'âme de sa femme ; dans chacune des paroisses de Jersey une gerbe de toute espèce de blé pour le luminaire de St Hélier ; l'île de Herm et l'église de ladite île ; ainsi que les autres possessions tant en Normandie qu'en Angleterre données et concédées à St Hélier par Henri II, Roi d'Angleterre, et par noble homme Guillaume Fils Hamon (le fondateur), du consentement de l'évêque du diocèse.

Ce document important contient en outre les règles prescrits pour le gouvernement des moines de l'abbaye de St Hélier.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Société jersiaise , *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 232, p. 312-317.

Texte établi d'après a

Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis canonicis ecclesie Sancti Helerii de Gersoio tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Monet nos apostolice sedis cui licet immeriti presidemus auctoritas ut de omnibus ecclesiis pastoralem curam gerere debeamus et ne pravorum hominum molestiis agitentur eas apostolico patrocinio communire. Ea propter dilecti in domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus et prefatam ecclesiam Sancti Helerii in qua divino mancipati estis obsequio ad exemplar felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum deum et Beati Augustini

regulam atque institutionem fratrum Sancti Nicholai de Aroasia in eodem loco institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante domino, poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo predicta ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis ; in insula de Geresi ecclesiam Sancte Trinitatis, viginti unam acras terre de cultura Regis in Crapouduth datas in helemosinam ; quatuor acras terre ab Alano de Monte et Willelmo fratre suo emptas in parrochia Sancti Clementis ; septem acras terre venditas a Willelmo de Segleriz in parrochia de Grovilla ; unam acram terre datam a Roberto de Barnevilla ; molendinum ville Sancti Elerii datum a Rege ; molendinum datum a Willelmo de Asneres ; quartarium frumenti concessum a Philippo de Carteret ; quartarium frumenti ab Alano Soin datum ; quartarium frumenti et dimidium ab eodem Alano ; decem acras terre datas a fratre Roberto de Faledoit ; quatuor acras concessas a Willelmo Galliceano pro anima patris sui ; mariscum Sancti Helerii datum a Rege ; unam carrucatam terre in valle de Tremble emptam a Jordano de Barnevilla ; decimam camparti de duabus carrucatis terre in Salmaresch quas Willelmus de Salineles dedit pro anima uxoris sue et in singulis parrochiis de Geresi unam garbam de omni genere bladi ad lumen Sancti Helerii, et insulam de Herm cum omnibus pertinentiis suis et ecclesiam ejusdem insule cum omnibus pertinentiis suis. In Normannia cellulam que vocatur Tallia et capellam Tallie cum omnibus pertinentiis suis datas et concessas ecclesie vestre episcopo loci prebente assensum a Jordano de Barnevilla ; ecclesiam Sancti Pauli apud Pervillam ; ecclesiam Sancte Marie de Bosco cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam de Rosel et terram quam abbas B. emit a Jordano de Barnevilla que jacet circa castellulum juxta Talliam ; unum quartarium frumenti datum a Willelmo de Monasteriis. In Anglia villam de Hacq cum omnibus pertinentiis suis et ecclesiam ejusdem ville cum omnibus pertinentiis suis et ecclesiam de Hastona cum omnibus pertinentiis suis datas et concessas ab illustri Henrico Rege Anglorum et nobili viro Willelmo Hamonis Sancto Helerio cum assensu diocesani episcopi. Donationes quoque alias ab eisdem seu ab aliis vobis et ecclesie vestre rationabiliter factas auctoritate apostolica nichilominus confirmamus. Libertates etiam et immunitates quas dilectus filius noster Henricus illustris Rex Anglie ecclesie vestre cartis suis autenticis pietatis intuitu confirmavit ratas decernimus permanere. Sane novalium vestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimentis animalium vestrorum decimas a vobis nullus exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem nisi arctioris religionis optentu sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. In ecclesiis vestrissim tres vel quatuor fratres habentibus liceat vobis de ipsis vel de aliis honestis personis presbiteros eligere et diocesano episcopo presentare, quibus si idonei fuerint episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus, et si fratres vestri fuerint de ordinis observantia debeat respondere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Inhibemus quoque ne terras aut ecclesias seu aliquod beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari vel alio modo alienari sine communi consensu capituli aut majoris et sanioris partis. Si que vero donationes vel alienationes quarumcumque possessionum vestrarum aliter quam dictum est facte fuerint irritas esse censemus. Preterea novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliis omnibus ecclesiasticis personis et maxime pro dedicatione ecclesiarum sive pro aliis ecclesiasticis sacramentis in ecclesiis vestrissim fieri prohibemus. Interdicimus etiam ne quis infra parochias ecclesiarum vestrarum ecclesiam vel oratorium sine assensu diocesani episcopi et vestro edificare presumat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Adicimus itidem ne aliquam ecclesiarum vestrarum alicui concedatis qui non velit et debeat in persona propria ministrare sed potius in singulis ecclesiis vestrissim presbiteri collocentur idonei qui Deo in illis digne valeant deservire. Statuimus insuper ne cuiquam liceat religionem domus vestre secundum regulam beati Augustini constitutam vel jura vestra seu rationabiles institutiones a patribus vestrissim scripto commendatas sine majoris et sanioris partis capituli consensu corrumpere vel mutare, sive aliquid minuere aut superaddere quod religioni et honestati seu utilitati vestre vel salubribus patrum videatur institutionibus obviare. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus ne infra clausuram locorum seu grangiarum vestrarum ulla violentiam vel rapinam seu furtum committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere seu aliquam violentiam audeat exercere. Crisma vero, oleum sanctum consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diocesano suscipietis episcopo, si quidem Catholicus fuerit et gratiam apostolice sedis habuerit et ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerit

exhibere, alioquin liceat vobis quem malueritis adire antistitem qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulget. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati que si illic sepeliri deliberaverint nisi forte excommunicati sint vel interdicti nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero ejusdem loci abbatte qui pro tempore fuerit vel eorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Augustini regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire presumpserit, secundo terciove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniuritate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Bene valete.

[Ici se placent le rota et les souscriptions du pape et de douze cardinaux].

Datum Verone per manum Alberti Sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancellarii, nono kalendas Septembbris, inductione quarta ; incarnationis Domini anno millesimo centesimo octogesimo sexto, pontificatus vero domini Urbani pape tertii anno primo.